



LI CEO SCIENTIFICO STATALE
"TITO LUCREZIO CARO"
via A. Manzoni, 53 – 80123 NAPOLI

VII CERTAMEN LVCRETIANVM NAZIONALE

[36] Nam quod ait [Epicurus] sensibus ipsis iudicari voluptatem bonum esse, dolorem malum, plus tribuit sensibus, quam nobis leges permittunt, cum privatarum litium iudices sumus. Nihil enim possumus iudicare, nisi quod est nostri iudicii – in quo frustra iudices solent, cum sententiam pronuntiant, addere: “si quid mei iudicii est”; si enim non fuit eorum iudicii, nihilo magis hoc non addito illud est iudicatum – . Quid iudicant sensus? dulce amarum, leve asperum, prope longe, stare movere, quadratum rotundum.

[37] Aequam igitur pronuntiabit sententiam ratio adhibita primum divinarum humanarumque rerum scientia, quae potest appellari rite sapientia, deinde adiunctis virtutibus, quas ratio rerum omnium dominas, tu voluptatum satellites et ministras esse voluisti. Quarum adeo omnium sententia pronuntiabit primum de voluptate nihil esse ei loci, non modo ut sola ponatur in summi boni sede, quam quaerimus, sed ne illo quidem modo, ut ad honestatem applicetur. de vacuitate doloris eadem sententia erit.

(Cicerone, *De finibus bonorum et malorum*, II 36-37)



LI CEO SCIENTIFICO STATALE
"TITO LUCREZIO CARO"
via A. Manzoni, 53 – 80123 NAPOLI

VII CERTAMEN LVCRETIANVM NAZIONALE

[18] Sed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quae una continet omnem et perspiciendi quid in quaque re sit scientiam et iudicandi quale quidque sit et ratione ac via disputandi, ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, nec ea, quae docere vult, ulla arte distinguit, ut haec ipsa, quae modo loquebamur. Summum a vobis bonum voluptas dicitur. Aperiendum est igitur, quid sit voluptas; aliter enim explicari, quod quaeritur, non potest. Quam si explicavisset, non tam haesitaret. Aut enim eam voluptatem tueretur, quam Aristippus, id est, qua sensus dulciter ac iucunde movetur, quam etiam pecudes, si loqui possent, appellarent voluptatem, aut, si magis placeret suo more loqui, quam ut "Omnes Danai atque Mycenenses, Attica pubes"¹ reliquique Graeci, qui hoc anapaesto citantur, hoc non dolere solum voluptatis nomine appellaret, illud Aristippeum contemneret, aut, si utrumque probaret, ut probat, coniungeret doloris vacuitatem cum voluptate et duobus ultimis uteretur.

(Cicerone, *De finibus bonorum et malorum*, II 18)

¹ Si tratta di una citazione, forse dal *Telephus* di Accio.